

eamque in novitate doctrinæ ac nominis sui statuunt. Excusandi sunt veteres, quod nondum excussis, & ad trutinam revocatis ab Ecclesia quæstionibus, aliquas olim Opiniones induerint, quas deinde Ecclesia a veritate alienas deprehenderit, atque proscripserit. Sunt & alii complures navi in primitivis Ecclesiæ Scriptoribus, atque in iis præsertim, quæis nunc utitur, sive abutitur Burnetus: quos exculare, Christiani hominis est, amplecti rursus ac tueri, esse non potest nisi hominis temere agentis, aut Hæretici. Quamobrem uti in tot aliis doctrinæ Catholicæ capitibus nihil sapiens vir moratur, si quid antiquis exciderit, quod cum sanctissimis Ecclesiæ decretis sublequantis minime consonet; ita nihil commovetur, dum quoddam reperit apud prima Ecclesiæ Sæcula Regni Millenarii; patronos, quum ejusmodi Regnum jam prorsus detritum sciat, neque certe Burneto ad illud restaurandum sint vires. Idem quia ipsius fabulosi Regni causa illico agnoscimus procrastinatum usque ad finem Mundi Beatitatem Sanctorum: propterea quis non intelligat, nihil heic ponderis habere posse paucorum autoritatem veterum adversus stabilitam ab Ecclesia hæc in re doctrinam? Et præcipue postquam jam vidimus, vel ab ipsis temporibus Apostolicis nostrum dogma emanasse, illudque semper in Ecclesia prævaluisse ostensuri mox simus. Apud justos rerum æstimatores, atque Historiæ & œconomix ecclesiasticæ peritos, sufficere pauca hæc possunt. Nonnulla tamen addere juvat, quæ satius visum fuit Burneto suis occultare Lectoribus. Primum est, non negasse *Justinum Martyrem*, quin multi e Catholicis suo quoque tempore Regnum Millenarium ejusque confectaria averfarentur. *Confessus sum tibi*, inquit, *me quidem & Alios Multos eadem mecum sentientes arbitrari id, sicut plane scitis, futurum. MULTOS vero etiam, qui PURE PLÉQUE sum CHRISTIANORUM SENTENTIA, hoc Non AGNOSCERE, tibi significavi.* Quare vides, ex ipsius Sancti Martyris confessione, quanquam is aliter sentiret, *Multos* tamen Orthodoxorum in contraria sententia stitisse; ac proinde jam tum viguisse dogma, quod uti suum semper agnovit Catholica Ecclesia. Ita is in eodem Dial. cum Tryph. pag. 265. Judæos ad Christi fidem convertos, & Legalium adhuc Rituum observatores, minime damnat, simul tamen monens, ejusmodi Judæos ab aliis Christi Fidelibus nequaquam tolerari. Et heic suam Justinus præferebat opinionem sententiæ Orthodoxorum. Surgat nunc alter Burnetus, & Judaizantes nobis commendat: quis eum non videat, auctoritate Justiniani perperam usum? Secundo, ex eo quod idem Justinus in prælaudato Dialogo scribat, Hæreticos dicere, *non esse Mortuorum Resurrectionem, verum simul atque moriantur, Animas ipsorum recipi in Cælum*, eosque propterea *non existimandos esse Christianos*, frustra Burnetus inferre vellet pag. 51. dogma Catholicum de Beatitudine Sanctorum enatum ex Hæreticorum placitis. Utique Gnostici, & præcipue Valentiniani, uti Sanctus Irenæus tradidit Lib. V. Cap. 31. sibi finxere, *simul atque mortui fuerim, se supergredi Cælum, & Demiurgum, & ite ad Matrem, vel*

ad